

DECRETA SYNODI.

DECRETUM I.

*De Statutis quatuor Conciliorum Quebecensium
a nobis promulgandis.*

Decreta, quæ lata sunt in quatuor Conciliis Quebecensibus, a S. Sede approbatis vel recognitis, hoc decreto nostra facimus; eaque, in quantum ad nos refert, in provincia Torontina iterum promulgata haberi volumus et jubemus, riteque ab omnibus et singulis, quorum interest, fideliter observari statuimus et mandamus.

DECRETUM II.

De Sacrosancto Concilio Vaticano Ecumenico.

Hujuscce Concilii Patres magnopere dssiderantes decreta Sacro-sancti Concilii Ecumenici Vaticani primi, huc usque promul-gata in hac provincia cum debita reverentia accipi et pie ob-servari decernunt, ut Constitutiones dogmaticæ “de fide Catholica ;” cum Canonibus adnexis, deque “Ecclesia Christi,” quoad omnia et singula, ab omnibus quorum est Catechizare aut Verbum Dei prædicare, debite perpendantur ut fidelibus, omni quo par est studio, infallibilis Definitiones et authenticæ Verbi Dei declarationes prædicentur et expli-centur

DECRETUM IV.

De Metropolitîs.

Varia fuit variis temporibus Metropolitarum jurisdictio, Jura potissima quæ ex hodierna Ecclesiæ praxi Metropolita in suffraganeos exercet, ad hoc fere reducuntur.